fragmentarium

urbiſ romę corneliuſ latebat in uicinio dyoniſii
& pancratii. Et cũ audiret dyoniſiuſ uniuerſaſ
uirtuteſ quaſ ſcſ corneliuſ faciebat. & quom̃
uniuerſũ populũ doctrina ſua a cultura idolorũ
amoueret. & ad uiã ueritatiſ & luminiſ reuocare
cępit cupere ad eiꝰ noticiã peruenire; Quadã autẽ
die dyoniſiuſ. una cũ pancratio. uenit ad ianuã
ſci cornelii. & uidenſ euſebiuſ oſtiariuſ uir totiuſ
ſcitatiſ interrogauit quid quererent; illi autẽ
genibuſ eiꝰ aduoluti. rogare cęperunt ut ſco papę
cornelio preſentari mererent; At ille ingreſſuſ
ad papã dix; Domine pat. quidã clariſſimi uiri
pro foribuſ ſunt. & rogant ut tuę beatitudini
p̃ſentari mereant; Audienſ hęc ſcſ papa corneliuſ
gaudio magno repletuſ. proſtrauit ſe dño in
oratione cũ lacrimiſ dixit; Dñe ihũ xp̃e rex
regũ & dñſ dominantiũ. qui mihi ultimo ſeruo tuo
aduentũ eorũ reuelare dignatꝰ eſ. confirma in eiſ
opem miſericordię tuę; & iuſſit eoſ uelocit
ad ſe perduci; Ingreſſi igitur. dyoniſiuſ. &
pancratiuſ. miſerunt ſe ad pedeſ ſci cornelii
rogantes & dicenteſ. ut oſtenderet eiſ xp̃m
quem ignorabant; Scſ uero corneliuſ cępit eoſ
amplecti; & declaranſ eiſ atq; inſtruenſ omnẽ
fidem dñi nri ihũ xp̃i. poſt dieſ uiginti

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.2, 1v – Passio Cornelii Papae et martyrum
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-g1b0/5193/49573)